DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ERYSIPELATE.

AUCTORE JOANNE LOGAN.

Erysipelas inflammatio est sui generis, cutem imprimis afficiens, cui proclivitas est valde insignis partes vicinas implicare. Saepius foeminis, liberis iisque habitus irritabilis, quam viris, vel iis constitutionis robustae, supervenit. Certis intervallis interdum revertitur, haud raro inflammatione phlegmonodea conjunctum. Faciem atque extremitates saepius, quam alias corporis partes adoritur, quamvis nulla pars immunis est. Cullenus id hisce definit verbis:

"Synocha duorum vel trium dierum, plerum-
"que cum somnolentia, saepe cum delirio."

SYMPTOMATA.

In miti exemplo hujus morbi, praesertim si extremitatibus insidat, minimum turbationis systemati adest; interdum pulsus arteriarum paulo plus solito acceleratur, calore cutis nonnihil aucto, cum pauxillo sitis. Paulo post, inflammatio erysipelatosa externe videtur, cum aliqua asperitate, dolore, calore aucto et rubore cutis: digito premente, rubor evanescit, sed pressura sublata redit. Si aeger intra fores maneat, symptomata paucis diebus abeunt; cutis affecta flavida fit; cuticula in squamulas exit, et aeger ad valetudinem restituitur.

Quae nunc memoravi genus morbi mitissimum indicant: nunc ad accessionem gravioris pergo.

In hoc, symptomata praecedentia magis urgent, quibus accedunt animi depressio, virium prostratio, frigus et horror, quae os amarum, lingua potius humida et obducta muco flavido, sitis haud magna, cutis parum sicca, oppressio circa praecordia, anorexia, et nausea, quae interdum usque ad vomitum tendit, languor insolitus et inquietudo generalis, sequuntur.

Postquam pleraque horum symptomatum, per spatium unius, duorum vel trium dierum perstiterint, cutis, in parte quadam, rubra, paulum tumida, laevis et nitida apparet ; et brevi post, rubor ad flavedinem vergit, quae versus finem morbi evidentior evadit : pars affecta non evidenter circumscripta videtur : proclivitatem insignem inflammatio ad partes vicinas tendere habet. Frequenter mutatur gradatim, per cutem serpens ex alia ad aliam partem, primam occupatam sanescentem relinquens. Aliquando quoque uno loco evanescit, et ad partes internas, ut cerebrum, viscera thoracis et abdominis transfertur.

Postquam inflammatio per aliquod tempus perstiterit, quod quoque est valde incertum, plurimae exiguae vesiculae continentes humorem flavidum, sed interdum limpidum, qui partes inflammatas et etiam vicinas valde irritat, et qui interdum suppurationi perlongi et mali generis originem dat, oriuntur. Interdum quoque humor viscidus est, qui ad cutem adhaeret et siccescit; plerumque tamen materies tenuior est, quae, vesiculis ruptis, statim effluit. Duratio harum vesicularum maxime est incerta. Dolor, qui morbum comitatur, est ardens et pruriens; pulsus arteriarum parvus et frequens.

Erysipelas cum aliqua inflammatione phlegmonodea frequentissime conjungitur. In hujusmodi exemplis, pulsus arteriarum est plenior et durior; sitis major; cutis et lingua sicciores; pars affecta rubrior; tumor ingentior et durior; dolor acutior, eumque sensus pulsationis frequenter comitatur.

Symptomata morbi, cum caput invadit, quae forma longe est periculosissima, atque igitur

attentionem nostram praecipue sibi vindicat, proxime memorabo.

In hoc exemplo inflammationem externam frigiditas antecedit, cui calor, sitis, inquietudo, aliaque symptomata febris, accedunt. Calorem, plerumque delirium, et fere semper somnolentia, frequenter usque ad coma tendens, quod semper augescit, adeo ut aeger septimo, nono vel undecimo die morbi, apoplecticus moriatur, comitantur. Pulsus arteriarum semper est frequens, et saepissime durus.

Postquam haec symptomata per duos vel tres dies duraverint, rubor et tumor ejusdem generis ac antea descripti, in aliquam partem faciei, genas, frontem, nasum, vel palpebras occupantes, paulatim ad calvariam, et haud raro ad collum et humeros, immo interdum ad thoracem extendentes, apparent. Post breve tempus, vesiculae oriuntur, ad basin quarum superficies cutis interdum fit coloris lividi vel subnigri. Partium inflammatarum, quibus vesiculae nullae oriuntur, cuticula finem versus morbi in squamulas exit. Tota facies saepe

valde tumet, et praesertim palpebrae adeo afficiuntur, ut oculos prorsus obtegant, et visum aegro eripiant, atque ad suppurationem usque tendant.

Symptomata febris, inflammatione accedente, non semper minuuntur: sed, e contrario, prout inflammatio ad superficiem majorem extendit, interdum augescunt: vel saltem, inflammatione non decrescente, quae tamen in casibus plerisque, circa diem octavum, vel decimum, minui incipit, sed interdum per hebdomadas duas manet, non levantur.

Adhuc est alia forma morbi, quae bene antiquis notata fuit. Non ab iis, esse species erysipelatis, quamvis a hodiernis sic habetur, putata est.

Haec in vesicularum forma parvarum apparet, quae humorem fere pellucidum continent. Eruptionem rigores leves, nausea et vomitus, praecedunt.

Vesiculae plerumque circa pectus, abdomen, dorsum vel lumbos apparent; frequenter partem gyri circa umbilicum formant, unde no-

men Zona. Alias in racemis distinctis videntur ; alias, intervallis parvis inter se interpositis, in has corporis partes. In hac etiam aeque, ac aliis exemplis erysipelatis, symptomata febrilia, eruptione apparente, non omnino evanescunt : sed, materia in vesiculis inspissante, paulatim abeunt. Haec conditio, quod ad eventum, raro est periculosa. Opinio vulgaris tamen valet, si corpus omnino complectitur, eam in mortem desituram. Haec sententia tamen fundamento lubrico verisimillime nititur.

Interdum quoque hic morbus mammas mulierum adoritur ; quo facto, illae tument, durescunt, et haud raro suppurant.

Erysipelas interdum in metastasin desinit, quae, cum caput afficit, aliquando, fere statim, fit lethale, omnia symptomata apoplexiae inducens.

CAUSAE.

De causis hujus morbi opiniones valde diversae, a variis auctoribus, prolatae sunt; sed, me judice, sequentes sufficiat memorare.

Primo.—Injuria mechanica, ut vulnera, contusiones, fracturae. Haec est observatio antiquitus a Celso facta: "Id autem quod Erysipe-"las vocari dixi, non solum vulneri superve-"nire, sed sine hoc quoque oriri consuevit."

Id quaedam genera vulnerum prae aliis sequi, ut vulnera e bombardis, vel lacerata, et longe frequentissime omnia vulnera capitis, praesertim cum obveniunt in illis, qui multum inebrietati vel aliis intemperantiae habitibus addicti sunt, bene cognitum est. Scarificationem in casibus hydropicis praesertim crurum quoque sequitur.

Secundo.—Gradus temperiei oppositi, nimis diuturna expositio ad calorem, veluti radiorum

solis, vel aquae in gradibus diversis supra illos, qui sine graviori effectu tolerari possunt, vel contra ad frigus majus solito, praecipue si aër humidus comitatur.

Tertio.—Varii stimuli, aut mechanice aut chemice admoti.

Quarto.—Vehementia mentis pathemata, ut ira, luctus, diu continuata.

Quinto.—Perspiratio impedita. Cooper putat hanc esse effectum, sed Richter esse causam hujus morbi.

Sexto.—Conditio primarum viarum turbata, praesertim ex statu morbido secretionis bilis.

Septimo.—Aliquid genus materiae intra corpus genitum, et e quadam turbatione constitutionis in superficiem corporis ejectum. Talis est sententia Culleni: verba ejus sunt: "I suppose the erysipelas to depend upon a matter "generated within the body, and which, analogous to the other cases of exanthemata, "is, in consequence of fever, thrown out upon "the surface of the body. I own it may be "difficult to apply this to every case of erysi-

"pelas; but I take the case in which it is ge-
"nerally supposed to apply, that of the ery-
"sipelas of the face."

Hic morbus viros frequentissime inter annum aetatis trigesimum et quadragesimum quintum aggreditur: foeminae praecipue gravidae, pueri quam viri, et illi habitus debilis et irritabilis, quam juniores constitutionis plethoricae et robustae, ad erysipelas sunt procliviores, quamvis hi ab eo nequaquam sunt immunes. Illos quoque valetudinis quassatae, et satis in aetate provectos, adoritur, Heberden testante: "Nequaquam securi sunt juvenes, et robusti; "multo tamen saepius tentantur, qui aetate "sunt inclinata, quorumque valetudo coepit "conquassari."

Illi, quos morbus antea corripuerat, quam ii, qui illo nunquam affecti sunt, ad ejus reditum multo sunt obnoxiores, idem auctor dicit: "Et sane quicunque illo semel tentatus fuit, "eum puto deinceps esse repetenti opportunio-"rem."

Hic morbus interdum, certis intervallis, exempli gratia semel vel bis annis singulis, immo aliquando multo saepius, revertitur, qui, si aeger non sit constitutione valida, eum paulatim et prorsus aufert.

Quod ad tempora pertinet, quibus erysipelas evenit: Aestate quam hyeme, praesertim in valetudinariis, causa cujus sit conditio aëris prava, et saepius in regionibus calidis quam inflammatio phlegmonodea, quae revera nonnullis una morbi causarum esse creditur, invadit.

Quamvis causae plurimae excitantes nunc memoratae per se hunc morbum gignere sufficiunt, haereditarius tamen aliquando existere reperitur. Doctor Gregorius in suis praelectionibus huic opinioni videtur favere. Haereditarius est, inquit, saltem in familiis quibusdam, praesertim in arthriticis apparet; quoque dicit id in aetate provecta, sed, ut illi videtur, nunquam ante pubertatem, occurrere.

Doctor Franciscus Home hunc morbum quoque interdum esse haereditarium putat. Verba ejus sunt: "A parentibus huic obnoxiis pro-

"geniti;" quoque addit, "et hoc malum semel "passi."

Interdum esse quoque contagiosus habetur. Doctor Cullenus quidem de hoc minus lucide loquitur, tamen in Primis Lineis suis Praxeos Medicinae dicit: "This disease is not commonly "contagious; but as it may arise from an acrid "matter externally applied, so it is possible "that the disease may sometimes be communi-"cated from one person to another."

Doctor Franciscus Home de ejus natura contagiosa, ut certa, loquitur, in argumentis adductis in ejus Experimentis Clinicis et Historiis, cum tractat de casibus de Reid, et aliarum febre puerperali laborantium anno 1774, quem morbum fuisse contagiosum et e natura erysipelatosa, clare probat. Addit: "The ery-"sipelas at that time was epidemic in the In-"firmary, and beyond all doubt infectious, "though it was never before thought to be so; "for the patients in the beds next to those "who had the erysipelas, and the nurses at-"tending them were infected: and the sur-

" geons of the hospital found that an erysipe-
" las supervened on every incision."

Aliae auctoritates post id tempus quoque existunt, ut Doctor C. WELLS in observationibus de erysipelate editis anno 1789, in Actis Societatis ad Scientiam Medicam et Chirurgicam promovendam institutae.

Doctor WILLAN de natura ejus contagiosa in suo opere de Morbis Cutaneis loquitur. Ex omnibus quibus, non dubium est, quin ejus natura interdum sit contagiosa, quibusdam rebus externis loci et status aëris, ut putemus, additis.

TERMINATIONES.

ERYSIPELAS pariter ac aliae inflammationes in resolutione, suppuratione et gangraena desinit.

Resolutio.—Haec terminatio hujus morbi longe est frequentissima, quae est semper optanda atque promovenda, et quae symptomatibus leva-

tis est expectanda, cum cutis affecta flavida fit, et cuticula in squamulas abire incipit. Haec inter diem octavum et decimum saepissime accidit.

Nulla est evidens crisis in hoc morbo : interdum tamen diaphoresi leni spontanea aufertur. Plerumque paucis diebus abiit ; aliquando tamen, per dies duodecim vel quatuordecim, immo multo diutius, nullo levaminis signo exhibito, secundum Doctorem GREGORIUM, protrahitur.

Suppuratio.—Haec quoque haud insolita terminatio erysipelatis, sed minime adeo frequens ac prior, existit. In palpebras saepissime accidit, et qua inflammatio, quae interdum late tendit, profundius cute descendit. Nulla extravasatio lymphae coagulatae est ; igitur adhaesiones, quae prohibeant, ne materies, quam partes suppuratae plerumque continent, extendat, raro formantur. Praeter pus, suppuratio plerumque continet aëra et lacunas, quae citissime gangraenosae fiunt. Pus tamen quod formatur, neque

album, leve nec aequale, quae signa sunt benigni puris, sed potius simile ichori existit.

DIAGNOSIS.

Morbus qui maxime refert, et qui pro erysipelate verisimillime habetur, est inflammatio phlegmonodea. Inflammatio in cute non adeo elevata ac in phlegmone adest, nec est color tam splendens, nec plane circumscriptus, et in cute circumdante, ac inflammatione phlegmonodea, non evanescit. Cute pressa, color abit, et statim, pressura sublata, cutis colorem suum pristinum recuperat, quod non in phlegmone accidit. Dolore in hoc morbo generis utpote ardentis et prurientis, existente, et non pulsantis, nisi cum conjungitur aliqua inflammatione phlegmonodea. Dolor contra in phlegmone est generis lancinantis et pulsantis, simul cum distentione.

Erysipelas et scarlatina corpus signis fere iis-

dem adoriuntur; sed scarlatinae efflorescentia, a capite ad calcem, se extendit: et hic morbus juvenes saepius invadit, cum exulceratione tonsillarum quoque connectitur: ad initium tamen utriusque morbi, formantibus diagnosin febri non nobis fidendum est.

PROGNOSIS.

Eventus hujus morbi, attentione ad symptomata adhibita, melius potest praedici. Cum morbus in constitutione vel habitu corporis pravo, vel in parte, sensibilitate magna praedita, occurrit, simul cum inflammatione vehemente, febre urgente, delirio vel comate, praesertim cum haec morbo ineunte et vehementissime accidunt; cum metastasis est inflammationis ad partes internas, ac cerebrum, viscera thoracis vel abdominis, vel cum partes inflammatae, si sint latae, suppuratae sunt, et ad gangraenam tetenderunt, aegro periculum maximum imminet.

Contra, si multum febris non adest, eamque delirium vel coma non comitatur, et cum inflammatio non se late extendit, morbus plerumque fauste et sine periculo desinit.

RATIO MEDENDI.

Rationes medendi maxime diversae in hoc morbo, variis auctoribus institutae sunt, adeo ut tractationem hujus morbi sub duobus capitibus, primo, cum inflammatio phlegmonodea id comitatur, et secundo, cum in habitu debilitato et delicato occurrit, considerare mihi opus sit.

Primo.—De morbo cum conjungitur inflammatione phlegmonodea, quod ut antea dixi saepissime obvenit.

Missio sanguinis.—In hoc morbo, haec necessaria interdum est. Cum morbum multum

pyrexiae comitatur, et cum caput delirio vel comate affligitur, sanguinem mitti oportet. Copia sanguinis, et missionis repetitio, ad symptomatum vim, corporis habitum, vires aegri, et aspectum sanguinis missi, accommodari debent. Detractio generalis vel phlebotomia, quam localis, huic morbo magis convenit, quod vulnera ab hac facta, vel hirudinibus vel scarificatione, ad suppurationem, a qua, quam maxime potest fieri, semper est cavendum, plerumque sunt valde proclivia.

Cathartica.—Alvum semper esse laxam oportet. Una vel duae dejectiones lenes, a quibusdam e catharticis lenioribus, praesertim praeparationibus salinis, indies sunt excitandae : Illae quae sunt adhibendae, sunt supertartris potassae, tartris potassae et sodae, sulphas magnesiae, phosphas sodae ; et manna et senna. Sed cum caput multum afficitur, ad purgantia satis valida confugere oportebit ; et omne regimen antiphlogisticum, frigore excepto, ut Doctor Gregorius putat, est servandum. Diaetam quoque non oportet esse tenuem.

Diaphoretica.—Praeparata ex antimonio pro diaphoreticis, illis inflammatione laborantibus, optime conveniunt, et hinc in hoc morbo sunt maxime idonea. Optima ex his sunt tartris antimonii, et vinum tartritis antimonii, in dosibus parvis. Nitras potassae quoque, et mistura salina vel aliquis potus dilutus, adhibentur.

Emetica.—Cum lingua foeda est aegro, sapor amarus in ore et propensio ad vomendum cum aliquo capitis affectu, exhibitio emetici partem curationis constituit, nisi cum morbus in suppurationem vel lacunas proclivitatem desinere habet. Cum emeticum alvum admodum fusam reddit, non oportet repeti.

Secundo.—Cum morbus, in habitu debilitato et delicato, simul cum symptomatibus irritationis, qualia sunt vires valde imminutae, pulsus arteriarum celer et parvus, oritur, ad removenda haec symptomata, et praecavendum ne morbus in gangraenam desinat, opera est adhibenda. In hoc consilium, cinchona, vino, aci-

dis mineralibus, camphora, cardiacis aromaticis, oportet nos uti.

Cum coma vel delirium morbum non comitatur, et cum dolor et irritatio ingravescunt, opium utiliter et tuto adhiberi potest: victus in hoc exemplo nutriens esse debet, e vino, cerevisia et jusculis animalibus constans.

Opus sit observare duorum generum supra dictam tractationem constitutionalem, e loco, e coelo, fortuito multum pendere.

In Scotia, hunc morbum natura maxime inflammatoria plerumque accidere, et tractationem antiphlogisticam supra dictam, quam eundem Londini occurrentem, saepius postulare, inter medicos nostros peritissimos convenit. Haec differentia ex hac re sola pendeat, quod morbi debilitatis, Londini quam Edinburgi, magis valere habentur.

Applicationes externae.—Variae applicationes externae in hoc morbo admotae sunt; sed illae quae plerumque adhibitae sunt, et igitur maxime comprobatae, sunt pulveres farinacei,

ut pulvis tritici, carbonatis calcis, amyli, et avenae, quae sit optima, quod non tam facile cum materia, quae e vesiculis exsudat, concrescit. Commodum praecipuum harum applicationum humorem acrem est absorbere, qui partes vicinas multum irritat, ut Domino B. BELL apparet ; et hae sunt applicationes fere solae quae nunc adhibentur.

Cum morbus ad suppurationem proclivis existit, et opus est remediis ad promovendam suppurationem, vel si vulnera comitetur, cataplasmata emollientia et calida, attentione adhibita ne ultra vulnera vel partes inflammatas extendant, proderunt. Si adsint ulla affectionis internae symptomata, praesertim qualia cerebrum affligunt, epispastica ad collum vel pone aures, vel etiam ad caput ipsum, sunt admovenda ; sinapismata quoque ad pedes imponantur. Positurae corporis erectae, quam maxime potest, quoque sunt servandae.

FINIS.